



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis**

**Arias, Francisco**

**Monachii, 1648**

Cap. XXXII. Declarantur fauores, & auxilia, quæ nobis dant boni Angeli; & quomodo ea per peccatum mortale amittantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

ipſi conſentit, proſcribere. Exequamur integrè diuina mandata, quando ſolis eorum executoribus cæli aditus promittitur, quemadmodum affirmat Chriſtus, dicens: *a Non omnis, qui in me credens, meque conſitens, dicit: Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: ſed qui præter fidem, facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum.*

*a Matth. 7. 21.*

*Declarantur fauores, & auxilia, que nobis dant boni Angeli: Et quomodo ea per peccatum mortale amittantur.*

### C A P. XXXII.

**O**Mninò magnum, ac perilluſtre Dei beneficium eſt, quod nobis Angelos cæli dedit, qui nos comitantur, atque cuſtodiant. Cum enim Angeli, quoad naturam ſuam, ſint creature nobiliſſimæ, & mirabilis potentie ſapientie, ac pulchritudinis, omnium

que, quas Deus creavit, excellentissima; & cum per gratiã, & per gloriam sint principes, & aulici celi, magni amici Dei, continuique familiares in domo ipsius, qui spiritualiter coram eo assistunt, amantes eum, laudantesque sine cessatione; cum item clarã Divinitatis illius visione perfectissimè beati sint; quòd hos Deus nostros custodes, tutores, rectores, moderatoresque constituit, vt nostrì curam gerant, & ad salutem nobis adiumento sint, altissimus eiusdem Dei fauor, & res homini summè honorifica, atque utilis est. Sicut S. Augustinus cum Deo loquens: *a Beneficia tua, Domine, magna sunt, quibus nos honorificasti, dans nobis Angelos tuos in ministerium nostrum. Dederas nobis, quicquid celi ambitu continetur: & quasi parua reputas hac, que sub celo sunt, nisi adderes etiam ea, que sunt super calos.* Hoc beneficio ostendit nobis Deus magnam, quam de homine habet, æstimationem, & ingens desi-

Q 4

de-

a D. Aug. in soliloq. c. 27.

derium, quod habet, vt vnus homo a  
 altero, & ab omnibus creaturis magis  
 æstimetur. Id declarauit, dicens vni  
 uersis fidelibus: *a Videte ne contemni  
 tis vnum ex his pusillis, qui in me cre  
 dunt; Quamuis autoritate, virtute  
 que pusilli sint, tamen magni eos faci  
 te, quia Angeli custodia eorum depu  
 tati, tantæ sunt dignitatis, vt spiritua  
 liter facie ad faciem videant, diuinita  
 tem Patris mei, qui in calis est. Manife  
 stauit mirabiliter Deus Pater amorem,  
 quo nos prosequitur, & desiderium,  
 quod habet, nostræ salutis, quando  
 quidem non satis habuit dare nobis  
 suum naturalem Filium, totum reme  
 dio, & reparationi nostræ impensum,  
 sed voluit etiam omnes Angelos suos  
 nostro bono impensos nobis dare, cū  
 vt S. Paulus loquitur, omnes sint ad  
 ministratorij spiritus, in ministerium anima  
 rum cuius conueniens à Deo missi pro  
 pter eos, qui hereditatem capturi sunt sa  
 lutis. Explicat S. Anastasius hanc De  
 digna.*

a *Matth. 18. 10.*

dignationem, & specialem, quâ hominem magnificavit, providentiam, hisce verbis: *a Quis pro dignitate admiratus fuerit dignitatem hominis, qui tanto honore, curâq; & providentiâ à Deo dignus est habitus, ut propter eum homo factus sit, ut homo Dei sit filius. & rex cœlorum: Eisdem prætereâ dedit præsidium omnium Angelorum, ut ab omnibus, tanquam satellitibus, & aulicis stipatus custodiatur.*

Quò meliùs huius beneficii magnitudinem intelligamus, bona, & misericordias ingentes, quas Deus per Angelos nobis exhibet, diuinæ Scripturæ, Sanctorumque testimonijs breuiter declaremus. Sancti Angeli hominibus Dei nomine latissimos nuncios adferunt, per quos eius altissima Dei secreta, altissimaque dona, quæ ipsis communicauit, & communicaturus est, reuelant. Angeli fuerunt illi, qui Abrahamo annunciârunt natiuitatem tantoperè desideratam, & tam lætam filij eius Isaac, & aduentû filij Dei in mundum

Q 5 dum

a *D. Anastasius q. 20. in Bibl. tom. 1.*

dum in carne mortali, quam sumptu-  
 rus esset ex ipsius genere, futurus eius  
 filius ille, qui Dei filius erat, & per quem  
 benedicendæ erant omnes gentes.  
 Angelus fuit, qui annunciauit Manue,  
 & sterili eius vxori natiuitatem Sam-  
 sonis, & tutelam, quam in eo habitu-  
 rus esset populus Israël contra Philis-  
 tæos; docuitque illos valdè speciali-  
 ter modum, quem in educando puero  
 seruare deberent. *b* Angelus Gabriel  
 fuit, qui Danieli annunciauit libera-  
 tionem populi Israël de captiuitate  
 Babylonicâ post septuaginta annos,  
 nec non libertatem mundi de captiui-  
 tate peccati post septuaginta hebdo-  
 mades annorum, eique multa myste-  
 ria, & secreta diuina, ad salutem po-  
 puli eius, totiusque mundi spectantia  
 reuelauit. *c* Idem Angelus fuit, qui  
 Zachariæ felicissimam Magni Baptista  
 Natiuitatem, officium, quod is habitu-  
 rus, & mirandam, quam ducturus es-  
 set,

*a* Genes. 18. 18. & 21. 18. Iudic. 13. 3.

*b* Dan. 9. 24. & 19. & c. *c* Luc. 1. 18.

set, vitam annunciauit. *a* Et sacratissimæ Virgini annunciauit incarnationē filij Dei intra illius viscera, salutem, quam is in humano genere operaturus, & regnum æternum, in quo electi eius cum ipso regnaturi essent. *b* Angelus fuit, qui pastoribus in regione vicinâ Bethlehem gregem suum custodientibus, natiuitatem Saluatoris nunciauit, eisque signa dedit, vnde illum cognoscerent, implens gaudio ipsos ob tam altum, mundoque lætum nuntium. *c* Angeli fuerunt, qui Mariæ Magdalenæ, ceterisque sanctis mulieribus, quæ Christum sequebantur, gloriosam Domini resurrectionem, ac per eas Apostolis quoque annuntiârunt. *d* Postquam Dominus in cælum ascendit, fuerunt duo pulcherrimi Angeli, qui Discipulis futurum eius gloriosum aduentum ad iudicandū mundum, gloriæque præmio electos suos afficiendos prænuntiârunt. Angeli eripiunt homines

Q 6

*a* Ibid. 31. *b* Luc. 2. 11. *c* Matth. 28. 8. Ioannis 20. 18. *d* Act. 1. 11.

mines ex magnis ærumnis, ac periculis  
 eosque perfectè inde liberant. *a* An-  
 gelus Raphaël Tobiam à suâ cæcitate,  
 & filium eius ab immani pisce, & Sa-  
 ram iuuenem à Dæmone, qui maritus  
 illius interficiebat, & totam Tobia fami-  
 liliã à magnâ, quam patiebatur, pau-  
 pertate, & angustijs liberavit. Ange-  
 lus Domini liberavit Azariam, & so-  
 cios eius à fornace ignis, in quam con-  
 iecti erant, quod nolent statuum Na-  
 buchodonosoris adorare, extinguens  
 ignem, & in suauem auram conver-  
 tens. *b* Angelus Domini contingens  
 aquam piscinæ Ierosolymitanæ, infir-  
 mos singulatim à quavis infirmitate  
 liberabat, perfectèque sanitati resti-  
 tuebat. *c* Cum S. Petrus in carcere, ca-  
 tenis constrictus, à militibus custodi-  
 retur, mortemq; expectaret, Angelus  
 Domini inde ereptum, in libertatem  
 vindicauit. *d* S. Timotheus Monachus  
 cum in solitudine infirmitatem qua-

*a* Tob. 12. 3. *b* Dan. 3. 50. *Ioann.* 4.  
*c* Act. 12. 9. *d* *Metaphr. Sur. in Iun.*

dam cum intolerabilibus doloribus pateretur, visitatus est ab Angelo, qui corpus eius tangens, liberauit illum, & ab omnibus suis morbis curauit. Angeli eos, qui peccârunt, è peccatis extrahunt, ad pœnitentiam ipsos mouendo; & illos, qui peccare volunt, retinent, iuuando eos, ne in peccatum labantur, *a* Filijs Israël, qui contra Deum peccârunt, apparens Angelus reprehendit eos, & ad peccata sua amarè deflenda, veniamque illorum impetrandam mouit. *b* Cum Isaias linguam suam inconsideratis quibusdam verbis inquinâset, vnus de Seraphim tangens eius labia carbone viuo, quem de altari tulerat, ipsum ab eâ culpâ liberauit, mundauitque. *c* Cum Balaam iret ad maledicendum populo Dei, Angelus, qui ei in viâ cum euaginato gladio apparuit, ipsum ab hoc malo proposito retraxit, & ab exequendo illo impediit. *d* Cuidam religiosi Or-

Q 7 dinis

*a* Iud. 2. 1. *b* Is. 6. 6 *c* Num. 22, 22. *d* In  
hyst. min. p. 1. l. 4, c. 10.

dinis S. Franciſci, qui tentatus, ſeductusque à Dæmone, noctu de Monafterio diſcedebat animo deſcendi à Religione, cum iam iã horto egrederetur, apparuit illi bonus Angelus, & manu fortiter caput eius prehendiſſens, remiſit ipſum ad Monafterium, graui obſurgatione ad pœnitentiam mouit, & e peccato comiſſo ereptũ, à multis alijs, quæ comiſſurus erat, ſeruauit, Angelus Domini S. Cæcilie virginitatem defendit, & Valerianum eius Sponſum, Tiburtiumq; affinem ab infidelitate eripuit. *a* Angeli docent homines res bonas, & ſanctas, quas facere, dicereque debent ad maiorem Dei gloriam, & ad propriarũ animarũ bonum; & dant eis ſalutaria monita, conſiliaq; ſuper illis, quæ maximè ipſos ad Dei obſequium facere oportet. Cum Abraham filium ſuum iuſſu Dei iam iam eſſet ſacrificaturus, retinuit eum Angelus, monuitque, ne id faceret, quòd Dei voluntas eſſet, vt filius ipſius uiueret, atq; is loco illius arietem imolaret. *b* Cum ſanctif.

*a Sur. in, Nou. b Gen, 22, 11.*

Amus

simus Ioseph Virginis sponsus propo-  
suisset eam, vt prægnantē vidit, dimit-  
tere, quòd sic rem sibi conuenientē fa-  
cturus videretur, Angelus Domini ma-  
nifestans ei Mysterium Incarnationis,  
ipsum ab illo proposito dimouit, deq;  
diuinā voluntate edocuit. *a* Et post  
Purificationem iussit eum, & Virginem  
secedere in Ægyptū, præmonens eun-  
dem Sanctū de Herodis persecutione,  
& *accipere puerum, & matrem eius, b* &  
peregrinationē illam ad puerū IESVM  
à morte liberandum obire. Cum Eunu-  
chus Candacis reginæ, res ad spiritua-  
lem suam salutem pertinentes scire cu-  
peret, Angelus Domini eum direxit ad  
Philippū Diaconū, qui ipsum doceret  
illas, baptizaretq; *c* Et Cornelio Cen-  
turioni, qui à Deo salutem animæ suæ  
petebat, Angelus apparuit, monens, vt  
S. Petrum vocandū curaret, qui ei My-  
sterium Christi declararet, ipsumque,  
& totam ipsius domum in Fide, in quā  
fal-

*a Matth. 1. 20. b Matth. 2. 13.*

*c Act. 8. 29. Act. 10. 5.*

saluarentur, instrueret. *a* Cum Christi Apostoli in carcere essent, Angelus Domini inde eductos iussit ire in Templum, ibique publicè prædicare Iesum Christum, & populo vitam Euangelicam suadere. *b* Cum Anatolia virgo Romana primaria nubere cogitaret, inuisit eam Angelus, & magna ipsi in laudem virginitatis dicens, eidem consilium virginalis continentiæ, utque vitam pro hac poneret, persuasit. *c* Stanti S. Ambrosio in pulpito pro concione Angelus Domini accedens *ad aures loquebatur* quæ populo esset prædicaturus. *d* Hoc boni Angeli officium valdè proprium est (uti Sanctus Pater Antiochus testatur) *ubi primum ad cor hominis ascenderit, cum eo max. sermonem texere familiariter de iustitiâ, de frugalitate, de cordis munditia, & castitate, denique de virtute omni glorie celestis conciliatrice.* Addit hic Sanctus,

*a Act. 5. 19. b Sur. in Dec. c Paulus in eius vitâ. d D. Antioch, hom. 61. in Bibl. tom. 2.*

mul atq; hac cuncta ad cor hominis ascen-  
derint, perspicue sentiri praesentiam boni  
Angeli, & magnum, quem in eo habet  
ad saluandum se, fauorem. Angeli de-  
fendunt homines ab inimicis corpo-  
ralibus, & spiritualibus, qui eos perse-  
quuntur, pugnando pro illis, auxili-  
umque eis contra hos ferendo. Cum  
Ægyptij persequerentur filios Israël,  
vt caperent eos, & occiderent, Ange-  
lus Domini, qui praecedebat eos cum  
columnâ, quæ ex vnâ parte tenebrosa  
erat, ideoque *nubes* vocabatur, ipsos  
à Sole defendens, & ex alterâ parte  
erat clara, ideoque *columna ignis*, *illu-  
minans noctem*, dicebatur; *a tollens se*  
de loco, in quo ibat, *stetit* inter vtrum-  
que exercitum, & obscuram partem,  
Ægyptijs obuertens, impediuit eos,  
quò minùs ad Israëlitas accedere va-  
lerent, donec insequentes ipsos, in ma-  
ri submersi sunt; & parte luminosâ  
præluxit Israëlitis, donec intuitum  
euaderent, Cum Iudas Machabæus cū  
pau-

a Exod. 14. 19.

paucis militibus contra magnum ad-  
 uersariorum exercitum pugnaret, de-  
 precabantur Dominum ciliis precantibus;  
 apparueruntque subito quinque An-  
 geli valdè decòri, optimeque armati in  
 equis cum frenis aureis, ex quibus duo  
 Machabæum medium acceperunt, &  
 omnes quinque in aduersarios pugna-  
 runt, & cum destruxissent eos, Iudas  
 victor exiit. *a* Cum ciuitas Ierusa-  
 lem à potentissimo exercitu Senna-  
 cherib regis Assyriorum obsideretur,  
 periclitareturq;,, apparuit Angelus Do-  
 mini in eius defensionem, & vnà no-  
 cte centum octoginta quinque millia  
 virorum percussit; itaque hostes vi-  
 ctos, mortuosque, & ciuitatem libera-  
 tam reliquit. *b* Et quemadmodum  
 Angeli seruos Dei in corporalibus vi-  
 sibilium inimicorum prælijs defen-  
 dunt, sic defendunt eos in spirituali-  
 bus pugnis inuisibilium inimicorum,  
 qui sunt Dæmones, & ipsorum instru-  
 menta, mundus, & caro; ideoque ve-

*a* 2. Mach. 10. 30. *b* 4. Reg. 19. 36.

rissimè Sanctus Abbas Raythu dixit, Angelos esse hominibus quasi *inexpugnabile scutum*, quo protegantur à Dæmonibus, & ad reportandam ex ijs victoriam *muniantur*. *a* Angeli afflictos, tribulatosque consolantur, ne deficiant, neque in suis tribulationibus, & aduersitatibus nimis contristentur, sed eas patienter, & cum animarum suarum fructu tolerant. Gedeoni, qui in magno timore, angustiaque erat, quòd Madianitæ populum Israël oppresserant, ei que segetes, & greges deuastabant, & ipsum fame enecabant, apparuit Angelus, qui eum consolatus est, & animos ipsi fecit, docuit eum industriam, & auxilium ei dedit, quo seipsum, totumque populum ab extrema, in quâ erant, angustia liberauit. *b* Eliam, cum Iezabelis persecutionem fugeret, totum afflictum, timidum, & famelicum Angelus con-

*a* Ioannes in schol. super Climac. in Biblioth. tom. 5. *b* Iud. 6. 12.

confortauit, consolatus est, ciboque recreauit. *a* Cum Daniel in lacu leonum iam sex dies planè ieiunus exegisset, Angelus eum consolatus est, ipsique prospexit de cibo, portans Habacuc Prophetam capillo capitis sui ex Iudæâ usque in Babylonem unam cum prandio, quod messoribus suis intriuerat. *b* Sanctus Guthlacus horridam quandam insulam incolebat, Deo in exercitijs pœnitentiæ, orationis, contemplationisque seruiens, & ibi infestabatur à Dæmonibus, qui crudelissimis eum verberibus, & per paludes, vepresque tractione continenter cruciabant: Et Angelus bonus quotidie ad ipsum veniens, ei loquebatur, animos addebat, opemque ad has omnes Dæmonum persecutiones inuicto robore, & cum ingenti merito tolerandas ferebat.

Angeli docent, ac mouent homines ad orandum, eorumque orationes ad Deum perferunt, petentes à Domino

*a* 3. Reg. 19. 6. Dan. 14. 33. *b* Sur. in Apr.

vt acceptet illas, & exaudiat. Ita testatus est Angelus Raphaël, ad Tobiam dicens: *a Quando orabas cū lacrimis, & sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Commune, & ordinarium Angelorum officium est, excitare nos ad orandum, & orationes nostras suis adiuuare. Ita S. Nilus, *b Scito,* inquit, *sanctos Angelos ad orationem hortari nos, & nobiscum pariter stare cum letitiā pro nobis orantes, & illuminare, docereque nos, si verè oremus.* Præter hæc auxilia, quæ Angeli hominibus in vitâ subministrant, assistunt eis tempore mortis, & cū speciali curâ, ac sollicitudine ipsos ad benè moriendum iuuant: animam iusti expectant, & è corpore egredientem magno cum gaudio suscipiunt, consolantur, Christoque præsentant, & si iam purgata est, statim eam in cælestes habitationes asportant. Hoc secretum à Christo manifestatum est, quando de mendico Lazaro dixit: *Factum est, ut moreretur, & portaretur*

ab

*a Tob. 12. 12. b Nil. de orat. c. 74. & 75.*

ab Angelis in sinum Abraha; a qui erat  
 limbus Sanctorum Patrum, quò tunc  
 iusti veniebant, donec Christus san-  
 guine suo cœli portam aperuit. Hæc  
 sunt officia, & opera charitatis, quæ  
 exercent boni Angeli erga homines,  
 quibus illos Deus in custodiam iam  
 inde ab eorum generatione, vel cer-  
 tē natiuitate dedit. Et Sanctus Augu-  
 stinus ea ad summam redigit his ver-  
 bis: *b Angeli boni diligunt homines,  
 concives suos. per quos sua ruina scissura  
 instaurari expectant: ideòq; magnā curā  
 & vigilantī studio adsunt nobis omnibus  
 horis, & locis, succurrentes, & providen-  
 tes necessitatibus nostris, & gemitibus  
 nostros, atq; suspiria referentes ad Deum,  
 ut impetrent nobis facilem benignitatem  
 eius propitiationem, & referant ad nos  
 desideratam gratia ipsius benedictionem.*  
*Adiuuant laborantes, hortantur pugnan-  
 tes, coronant vincentes, congaudent de  
 Deo gaudentibus, compatiuntur pro illis*

a Luc. 16, 22. b D. Augustin. soliloq.

cap. 27.

patientibus; confortant omnes debiles; custodiunt homines in omnibus vijs suis. Grandis est eis cura de nobis. Magnus est affectus dilectionis eorum erga nos: & hoc totum propter honorem inestimabilis charitatis, quâ nos Deus dilexit.

Bona hæc, & fauores, quos Deus nobis per Angelos facit, magnâ ex parte per peccatum mortale amitti.

CAP. XXXIII.

Suppositâ hac veritate de cælo traditâ de magnis præsidijis, quæ ad salutem nostram in bonis Angelis habemus, aliud grauiissimû peccati mortalis damnum detegitur, quòd scilicet nos his ingentibus Angelorum auxilijs, ac fauoribus priuet. Quemadmodum enim Deus ijs, qui donis, fauoribusque ipsius ritè vtuntur, illos auget, ijs verò, qui ipsis abutuntur, eos aufert, vt ostendimus; sic boni